



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

II. Quibus rationibus demonstrari poßit vnum esse Deum, & non plures.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38954**

## SECTIO II.

*Quibus rationibus demonstrari possit vnum esse Deum, & non plures.*

**H**uius veritatis de vnitatem Dei demonstratio, ex procedenti de eiusdem Dei existentia necessario sequitur; vt enim recte dixit Tertul. lib. 1. contr. Marcion. cap. 3. *Deus, si non vnus est, non est; & S. Athan. in lib. cont. gentil. Deos esse multos, perijngit esse, ac nullos dicere.*

Vt tamen hæc veritas adhuc clariùs innoscescat, variæ suppetunt rationes, quas SS. Patres scriptis suis inferuerunt, ex quibus aliquot seligemus.

Primam ducere possumus ex ipso naturali instinctu hominum, qui vel in medijs gentilitatis erroribus, tamen communi sermone Deum vnicum semper agnouerunt. Nam & cum iurant, vt ait Lactantius lib. 2. inslitut. Christ. c. 1. & cum gratias agunt, non Iouem, aut Deos multos, sed Deum nominant; adeo ipsa veritas cogente naturâ etiam ab inuitis peccatoribus erumpit.

Secundam rationem desumit S. Athanas. sup. ex ordine & administratione huius mundi: *Non enim, inquit, si plures essent rerum creaturum principes, seruari posset eiusmodi vniuersitatis ordo, sed omnia confusa & perturbata forent; cum vnusquisque omnia ad suum arbitrium traheret.*

Tertiam adhuc rationem nobis suggerit Boëtius lib. 4. de consol. prof. 10. ex eo, quod Deus est summè bonus & summè perfectus, adeoque summum creaturæ bonum; si enim hæc illi summa bonitas & perfectio deesset, iam non esset Deus; omnes enim in eo conueniunt, vt Deum esse sentiant illud, quod optimum & perfectissimum est, & quo nihil melius & perfectius excogitari potest: atqui si essent exemp. gratiâ duo Dij, totidemque summa bona, vnum alterum non esset, atque adeo mancum & defectuosum esset; quia deesset illi summum bonum, quod esset alter Deus, à quo diuersus esset: vnde sequitur esse tantum vnum Deum, nec plures esse vllò modo posse.